

DEO ADSPIRANTE
De
HOMONYMIS

DISPUTATIO PRIMA,

Quam

Consensu inclutæ Facultatis

Philosophicæ

In Academia Lipsiensi

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS ITTIGII, Philos.

& Medic. D. Organi Aristot. Profess.

Publ.

Publicæ disquisitioni subjicit

JOHANNES CHRISTOPHORUS Hilscher

Lipsiensis, Magist. Candid. & Elector.

Alumn.

XIX. Calend. Januar. in Auditorio Colleg.

Maj. Majore.



LIPSIAE,

Typis HENNINGI COLERI,

M DC L.

Philos.

B.

205,28

VIRIS

*Plurimum Reverendis, Amplissimis, Experientissimis,
Excellentissimis, Clarissimis Prudentissimo, Per. Eximio,
Spectatissimis & Integerrimo*

DN. DANIELI HEINRICI, SS. Theol. D. & P. P.
famigeratissimo, Facultatis Theologicae Decano, Canoni-
co Misnensi, Alumnorum Electoralium Ephoro Acade-
miæque Decem. Viro dignissimo;

DN. JOHANNI MICHALIS, Phil. & Med. D. The-
rapeutic. P. P. Celeberrimo, Facultatis Medicæ Decano,
Academiæ Decem Viro, Collegii utriusque Principum
Collegiato & Archiatro Altenburgico felicissimo;

DN. JOHANNI BENEDICTO CARPZOVIO,
SS. Theol. Licentiato, & P. P. meritissimo & ad D. Tho-
mæ Archi-Diacono vigilantissimo;

DN. PHILIPPO MULLERO, Medic. Licentiato,
Math. P. P. Facult. Philos. Seniori venerando, Alumno-
rum Electoralium Ephoro, & Collegii Majoris Principum Col-
legiato longè dignissimo;

DN. SEBASTIANO Ohelm/ Reipubl. Lipsiensis Senatori ac
Ædili gravissimo;

DN. M. SIMONI Wachen/ ad D. Johannis Pastori fidelis-
simo;

DN. JUSTO Avenbecken/ Civi & Mercatori Lipsiensi pri-
mario;

*Dominis Mecenatibus, Patronis, Promotoribus,
respectivè Affinibus, Curatori & Fautoribus suis magnis
summeq; devenerandis*

Hanc Disputationem præsentem

In Grate mentis κριτήριον

Debite observantia τεκμήριον

Ulterioris faventia ὀρμητήριον

Offert & dedicat

RESPONDENS.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

Σὺν τῷ Θεῷ.

Porphyrus doctrinam, quam de
quinque vocibus, Genere nimirum, Specie, Dife-
ferentia, Proprio & Accidente, ὡς περ ἐν εἰσω-
γωγῆς τῆς πρώτης ex Peripateticis conscripserat,
Chrysaorio discipulo suo commendaturus, ad qua-
tuor 1. eis τὴν τῶν ὀρίσμων ἀπίδοσιν. 2. eis τὴν περὶ διακρίσεως
3. eis τὰ περὶ ἀποδείξεως, illius cognitionem necessariam & u-
tilem esse sub initium statim vult praesupponi. Non enim ignora-
bat Philophus ille, nihil tam studium animi, alacritatem in discen-
tibus excitare, quam si perciperent, magno sibi id, quod discunt
aliquando fore usui; juxta illud Ammonii: Schol. in Categ.
Aristot. Τοῦ χρησιμὸν σπουδὴν καὶ προθυμίαν τῷ ἀκροατῇ ἐντίθησι.
Præstantius quid de sua in Logicam Introductione promittere.
Porphyrius ferè nihil potuisset, quam quod ad tria illa cognoscen-
di instrumenta, ad Definitionem, scil. Divisionem & Syllogismum
(Demonstrationem enim à Porphyrio l. c. pro Syllogismo accipi
non est, quod dubitemus) nec non ad doctrinam Categoriarum,
necessariam illam & perquam utilem futuram pollicitus fuit. Sed
quam utilitatem traditioni de prædicabilibus Porphyrius absq̃
Demonstratione isto loco attribuit, illam ipsam hîc quoque, ubi
commodè eam explicare nondum possumus, de Homonymis concedi
aut saltem praesupponi cupimus. Quod si verò quis interea, usq̃
dum id suo loco probatum dederimus, nudæ nostræ assertioni fidem
deroget, Clementem Alexandrinum Strom. lib. IIX. fol.
m. 558. sub hac inscriptione, αἱ τῶν ζητήσεων ἐφόδοι καὶ δεχαὶ
περὶ ταῦτα καὶ ἐν τότοις εἰσίν. Pro nobis ita loquentem adducimus:
Προτακτέον καὶ τῶν ὀρίσμων, καὶ τῶν ἀποδείξεων, καὶ διακρίσεων ποσαχῶς
A 2 λεγε-

λέγεται τὸ ζητούμενον. Τα δὲ ὁμώνυμα χειριστέον· id est, ante De-
 finitiones. Demonstrationes & Divisiones prius ponen-
 dum est, quod modis dicatur id, quod quaeritur; & tra-
 ctanda sunt Homonyma. Et si quis solâ Clementis Alex. au-
 thoritate contentus esse nolit, inq̄ specie magis Homonymorum u-
 sum scire desideret, illius in gratiam ex Guilh. Hildenio, Com-
 ment. in Categ. Aristot. ad definit. Homon. insuper quae-
 dam hîc transcribimus. Primum, inquit ille, ex hâc defini-
 tione (Homonymorum) tenenda Regula est: Æquivoca-
 tum à Categoriis, tum ab omni parte Dialecticâ remo-
 venda sunt. A Categoriis, siquidem in his τὰ κατὰ μὲν δὲ-
 μίαν συμπελοκὴν tantum continentur. A Definitione & Des-
 finito, siquidem utrumque ad essentiam, quæ semper una est &
 uniformis, denotandam dirigitur, & à divisione similiter, quod
 illius membra, divisim, exquisitè exhibere & circumscribere
 debeant. A Syllogismo alienam æquivocationem esse oport-
 ere certum est, cum omnis erroris, omnium fallaciarum & im-
 posturæ Sophisticæ fons & amplissimus locus sit æquivocatio.

De Homonymis autem quorum tam amplius per omnes partes
 Logicæ est usus, brevem tractationem suscepturi eam quatuor dis-
 putationibus absolvemus, inq̄ harum prima & præsentî Homony-
 morum definitionem, quam Aristoteles lib. I. Categ. cap. 1.
 tradit ex Peripateticis optimis explicabimus, in secunda & tertia
 Homonymorum Divisionem suscipiemus, inq̄ 4. Huius doctrinæ
 usum uberius monstrabimus. Quod ut felicissimè à Nobis per a-
 gatur, ipse Pater Domini nostri Jesu Christi, qui verus Fons lu-
 minis ac sapientiæ supereminens principium est, ingressum ut di-
 rigat, ac egressum compleat, per & propter hunc ipsum Filium
 suum supplices rogamus.

THESES.

- I. Aristoteles cum lib. de Sophisticis Elenchis cap. 1. dixisset,
 quod Sophistis ex nominibus τὸ πῶς ἐνφύεστος καὶ δημοσιώτα-
 τος

τῷ, id est, naturæ convenientissimus & vulgatisimus locus sit, ex quo ad decipiendum alios argumenta sumant, causam cur nominibus in evitabili necessitate nobis utendum sit, statim subjungit inquit. Ἐπειδὴ ἐδέξαντο αὐτὰ καὶ αὐτὰ τὰ πράγματα διαλεγόμενοι φέροντας. Τοῖς ὀνόμασιν ἀντὶ τῶν πραγμάτων χρῶμεθα σύμβολοις, id est: *Cum non liceat res ipsas per se in differendo afferre; nominibus vice rerum utimur.*

II. Ὁμόψυφος planè Aristoteli est Galenus lib. 2. de meth. med. ubi dicit: δὲ δάτκεν Βελλόμενος ἕτερον ἅ γινώσκει, διήσεται τε πάντως ὀνομάτων Ἰπὶ τοῖς πράγμασιν, id est: *Qui alterum docere volet, quæ ipse tenet, huic prorsus nominibus pro rebus uti opus est.*

III. Animas nostras extra corpus constitutas, per ipsos rerum conceptus sibi invicem res significare posse, in corpore verò commorantium animarum intellectum tanquam nebulam quâdam obscurari, ut nominibus, quibus sibi invicem significant, indigeant Ammonius Schol. in Aristot. Categ. hisce verbis prodidit: Αἱ ψυχὰς ἡμέτεραι, γυμναί μὲν εἶσαι τῶν σωμάτων, ἡ δὲ δύναμις δι' αὐτῶν νοημάτων σημαίνει ἀλλήλαις τὰ πράγματα. Ἐπειδὴ δὲ σώματι συνιδέονται δεκτικὴν νεφρὸς ὡς ἐκαλύπτεισιν αὐτῶν τὸ νοερόν, ἐδέκθησαν τῶν ὀνομάτων, δι' ὧν σημαίνεσιν ἀλλήλαις τὰ πράγματα.

IV. Verùm licet necessitas eò nos adigat, ut nominibus vice rerum nobis utendum sit; magnum tamen ex hoc ipso incommodum nobis metuendum non esset, neque Sophistis locus nominibus fallendi suppeditaretur, si singulis rebus significandis singula vocabula à nominum inventoribus, potuissent poni.

V. Quò minus enim ὀνοματοθέται, Pythagoræ (test. Clem. Alex. ἐκλογ. ἐκ τῶν προφητ. fol. m. 577.) λογώτατοι τῶν σοφῶν καὶ πρεσβύτεροι habiti, singulis rebus singula nomina imposuerint, ipsa rerum significandarum infinita multitudo, & vocabulorum significantium numerus finitus facit: ut iterum Aristoteles l. c. confirmat, Scaligero quoque lib. IV. de caus. LL. cap. XCI. approbante: *Rerum enim, inquit, numerum penè immensum totidem vocibus cum assequi nequirit humana mens, necessariò comparavit ut non solum quæ ejusdem substantiæ participes essent res, eodem quoque nomine significarentur, ut equus & homo*

homo animalis nominis, cuius natura constarent communi: Sed etiam qua re ipsa diversa essent, veluti, canis caeleste sidus, & canis animal.

VI. Generali huic ambiguitatis rationi, quam *Aristoteles* animadvertit, & *Keckermannus* l. 1. *Syst. Log. cap. 1.* nonnihil illustravit, aliam ex lib. 1. *Aristotel. περι' ἑρμην. cap. 2.* addere possumus; quod scil. vocabulum nullum natura sit, sed ex hominum arbitrio, quod fortuitum saepe est & varium, rerum Symbolum fiat.

VII. Ad Homonymorum originem ut adhuc propius deveniamus, fundamenti loco ponimus, quod *Ammon. l. c* & ex hoc *Boëtius* lib. 1. in *Præd. Aristot. aliquæ* hos sequentes supponunt; nimirum quod invicem res aut nomine significemus, aut definitione: Nominem quidem confuse, definitionem vero distinctè. *Δια' μὲν (sunt verba Ammonii) τῆς Φωνῆς σημαίνομεν (τὸ πρᾶγμα) ἀθροῦν αὐτὸ τῶ φύσιν δηλοῦντες. Ὅταν δὲ δια' ἑ ὀρισμῶ, τὸ κατὰ μέρος προσόντα (τῶ πρᾶγματι) θεωρῶμεν.*

IX. Ex his duobus Nominem scil. & Definitionem, prout conjunctim vel divisim rebus conveniunt, aut non conveniunt, *Ammonius*, quatuor tantum rerum & nominum diversitates colligit. *Τῶν ἐν πρᾶγματων, (λέγει) τὰ μὲν κοινῶν εἰ ἀλλήλοις κατὰ τὸ ὄνομα, διαφέρει δὲ κατὰ τὸν ὀρισμὸν, ἃ καλεῖται ὁμώνυμα. Τὰ δὲ κοινῶν εἰ μὲν κατὰ τὸν ὀρισμὸν, διαφέρει δὲ κατὰ τὸ ὄνομα, ἃ καλεῖται πολυώνυμα. Τὰ δὲ κατὰ τε τὸ ὄνομα, καὶ τὸν ὀρισμὸν κοινῶν εἰ, ἃ καλεῖται συμώνυμα: τὰ δὲ, κατὰ τὸν ὀρισμὸν, καὶ τὸ ὄνομα διαφέρει, ἃ καλεῖται ἑτερώνυμα.*

X. *Ammonii* verba hæc *Boëtius* mutato tamen & ferè inverso ordine, ita lat. reddidit: *Omnes res aut eodem nomine & eadem definitione junguntur & vocantur UNIVOCA, Alia vero que nec, nominibus nec, definitionibus conjunguntur, vocantur DIVERSIVOCA. Alia vero que diversis nominibus nuncupantur, & uni definitioni designationi, subduntur, & id, quod multa illa nomina significant, unâ definitione declarantur, & hoc vocatur MULTIVOCUM. Alia vero, que nomine quidem congruunt, definitionibus discrepantur, & vocantur ÆQUIVOCA.*

X. Cle.

X. *Clemens Alexandr. Strom. lib. VIII. fol. m. 561. & simplicius quoque περὶ ὁμωνύμων.* quatuor hisce variationibus addunt quintam; ἔστι δὲ τίνα (pergit Simplicius) καὶ τὰ τῶν μὲν κοινῶν ὄντων ἀμφοῖν, πῆ δὲ διαφέροντα, ὡς τὰ παρωνύμα λεγόμενα: id est, Sunt verò quædam, quæ ambobus, nomine scil. & definitione aliquò modò conveniunt, aliquò verò modò discrepant, ut quæ Paronyma dicta sunt.

XI. Sed nec hæcenus omnia ista rerum, quæ nomine & definitionibus variare possunt, genera fuerunt enumerata; Sunt enim aliæ adhuc res, quæ nomine non ex parte tantùm & initio dictionis, ut paronyma, sed ex toto conveniant, definitionem verò partim eandem, partim diversam habent, ut sunt *ANALOGA*, quæ *Aristoteles lib. Categ. cap. 1* & veterum interpretum plerique inter æquivoca referunt; recentiores verò ab illis distinguunt, eaque inter Univoca & æquivoca quædam faciunt media.

XII. Notandum autem hîc est, Homonymia æquivocè dici: Non tantùm enim ipsæ res plures solo nomine participant, sed & vocabula plures res, sub diversis significationibus denotantia dicuntur æquivoca; illa æquivoca æquivocata, hæc verò æquivoca æquivocantia vulgò, *Aristoteli πολλὰ ἢ πλεοναχῶς λεγόμενα, Ciceroni, Gellio & aliis* ambigua dicuntur.

XIII. *Boëtius* quidem *lib. 1. de Divisione* hoc discrimen inter æquivoca & ambigua facit, quod illa simplici dictioni, hæc autem orationi attribuat; *Nominis enim, inquit, per significationes proprias divisio, ÆQUIVOCATIONIS* partitio nuncupatur, *orationis verò in significationes proprias distributio, AMBIGUITATIS discretio est, quam Greci ἀμφιβολίαν vocant: ita ut nomen multa significans æquivocum, oratio verò multa designans amphibola, atq; ambigua predicetur.* Verùm licet Latini hanc differentiam tam strictè non observent, & ambiguum non orationi tantùm, sed & nominis nonnunquam epitheton faciant, *Aristoteles tamen lib. de Soph. Elech. cap. 4.* Græc. ὁμωνυμίαν ab ἀμφιβολίᾳ accuratè distinguit, illam nomini, hanc orationi assignans.

XIV. Cum itaque res & nomina quoque modis ut dictum est, differant, quæstio hinc oritur, cur de Homonymis tantum Synonymis, & Paronymis ab *Aristotele* agatur, atque ad hanc ipsam à *Simplicio* variè respondetur, sed cum ad ultimam nostram disputationem quæstio illa pertineat, hinc illam meritò præterimus.

XV. Non possumus tamen non antequàm transeamus ad ea, quæ ad Homonymorum tractationem propriè pertinent, illam distinctionem *ἑτερονομῶν* attingere, qua *Ammonius*, *Clemens Alex.* & *Simplicius* illa in duas quasi species, nimirum in ea quæ circa idem subjectum in diversis nominibus sunt; ut ascensus & descensus in Scala: & in ea, quæ idem subjectum non habent; ut sunt equus, niger &c. dividunt; quorum illa magis Heteronyma, hæc verò *ἑτερονομῶν*, id est, altera vocant.

XVI. *ὁμωνυμία* gr. & usu lat. quoque Homonyma dicta, ab *ὁμῶς* & *ὄνομα* quæ appellantur, J. C. Scaliger loc. antea cit. (cui quidem Græca hæc appellatio magis, quàm ulla Latina aridet; Sicuti & *Vito Amerpachio. Enarrat. Categ. Aristot. Varronis & Quintiliani exemplò*, Græco nomine uti tutissimum videtur) Unomina vel etiam Unonima (*Amerpachius* verò ne cum Univocis hisce appellationibus confundantur, cognominea aut cognominia melius dici putat) quòd scil. unà plures res significent, rectius quam æquivoca à recentioribus, qui vocis quasi hæreditate æquali rem inæqualem repræsentari iis dicant, appellari posse existimat. Siquidem *ὁμῶς* simul sive unà, non autem *ἰσῶς* æqualiter significet; prætereaque *ὁμωνυμία*, quæ easdem tantum literas sive materiam eandem (exempli gratia canis, literas c, a, n, i, s,) significata verò sive formas (exempli g. sidus cœleste & animal terrestre) quibus nomina & quævis alia sunt, quod sunt, diversas habent, non idem nomen, sed simul nomina sint.

XVII. Circa Homonymorum existentiam duorum extremè dissidentium errorum, quos foverunt *Chrysippus* & *Diodorus*, cui *Crono cognomentum* fuit, meminit *Gellius lib. XI. cap. XII. De Chrysippo* enim refert, quod statuerit omne verbum ambiguum naturâ esse; quoniam ex eodem duo vel plura accipi possent.

De

De *Diodoro* verò narrat, quod nullum verbum ambiguum esse dixerit propterea, quòd verbum neque respectu dicentis neque respectu audientis ambiguum sit: Non respectu dicentis; cum nemo qui dicit, duo vel plura, (id quod tamen verbi ambigui natura requirat) dicat aut sentiat: Nec respectu audientis; cum audienti nihil dici videri debeat, quam quod se dicere, sentit is, qui dicit.

XVIII. Verùm licet *Chrysippo* ambabus quod dicitur, manibus largiamur, quod quodvis nomen aut verbum ex instituto hominum à quò significationem suam accipit, pluribus rebus significandis imponi possit; attamen cum non de eò, quid fieri possit; sed de eo, quod factum, quæstio instituat, atque hominum placito introductum sit ut vocabula certum quid valeant, certisque quibusdam rebus determinandis certa quædam nomina sint indita, nihil ille concludit.

XIX. *Diodoro* quoque licet & ipsi condonemus, quod in conceptibus nulla sit ambiguitas, vocem tamen omnem eadem carere non concedimus. Et ipse *Diodorus* hoc non negare videtur, dum, ap. *Gell.* ait: *quum ego aliud sensi, tu aliud accepisti: obscure magis dictum: quam ambiguum videri potest.* Quod autem dicit ambigui verbi naturam in eo consistere, ut qui dicit, duo vel plura dicat, hoc est, quod inficias imus. Ambiguitas enim in ipso vocabulo multa significante est, non verò pro dicentis aut accipientis arbitriò fit.

XX. Hisce hætenus præmissis, Homonymorum sive æquivocorum DEFINITIONEM, quam *Aristoteles lib. 1. Categ. c. 1.* habet subjungimus eandem secundum singula verba explicaturi, ita quidem, ut, licet eã *Æquivoca æquivocata tantum describantur*, etiam *Æquivoca æquivocantia* quid sint unã operã facile constare possit. Τῶν γὰρ γνωστέων, γνώμα ἔσαι καὶ τὰ λοιπὰ ὡς ἀπείκελα. Hinc E. sequuntur Definitionis verba, quæ talia:

ὁμώνυμα λέγεται, ὃν ὄνομα μόνον κοινόν, ὃ δὲ κατὰ τὸ νόμα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος. Id est: *Homonyma seu æquivoca dicuntur, quorum nomen tantum commune est, ratio verò substantiæ seu essentiæ diversa.*

B

21. HO.

XXI. HOMONYMA seu æquivoca *Aristoteles* in plurali non in singulari numero, & in concreto non in abstracto, & quidem non temerè & absque ratione, sed ipsa rei definitæ natura ita efflagitante definit. Ut enim Homonymia seu æquivocatio, quæ nihil aliud est, quam $\alpha\acute{\epsilon}\pi\iota\varsigma$ seu relatio illa, secundum quam plures res nomine solùm participant, fiat, duæ ad minimum res uno nomine, significari debent. Quare in singulari numero res istæ defini non poterant. In concreto verò eadem *Aristoteles* definit, ut *Jobann. Lorin. Tract. de Æquiv. Explic. vocum ex Porphyry. Dialogo in b. l. cap. 9.* notat, quia abstractum Homonymia scilicet sine Homonymis, concreto scilicet suo cognosci nequit.

XXII. Mirum alicui videri posset, quòd, uti *Ammonius Græcus* *Aristot.* interpret tradit, aliqui dubitaverint cur *Aristoteles* dixerit $\acute{\omicron}\mu\acute{\omicron}\nu\mu\alpha \lambda\acute{\epsilon}\gamma\epsilon\tau\alpha\iota$, non verò $\lambda\acute{\epsilon}\gamma\omicron\nu\tau\alpha\iota$ cum neminem facilè, nisi planè $\alpha\iota\alpha\lambda\phi\acute{\alpha}\theta\eta\kappa\tau\omicron\nu$, lateat, Græcos neutris pluralibus consuevisse verbum singulare addere. Sed *Ammonius* respondet, id non tantùm ob hanc ipsam, sed & aliam ob causam ab Aristotele factum esse, quod videlicet Homonyma, etsi multa sint, nihilominus hoc ipso & secundum quod Homonyma sunt, unum tantum existant.

XXIII. Genus, quod in Aristotelis definitione subintelligendum est, sunt vel potius, dicuntur ΠΡΑΓΜΑΤΑ RES DICUNTUR inquam: *Res enim per se ipsas, sunt verba Boëthii, æquivoca non sunt, nisi uno nomine predicentur. Quare, quoniam ut æquivoca sint, ex communi vocabulo trahunt, rectè æquivoca DICUNTUR.* Sed & aliud hoc ipso, quod dixerit $\lambda\acute{\epsilon}\gamma\epsilon\tau\alpha\iota$, non verò $\acute{\epsilon}\sigma\iota\nu$, Aristotelem innuere voluisse; hoc nimirum quòd non ipse, sed veteres sint nominis hujus $\acute{\omicron}\mu\omega\nu\acute{\upsilon}\mu\omega\nu$ Autores, *Ammonius* notat.

XXIV. DIFFERENTIA, qua Genus ab aliis discernitur rebus, à tribus conditionibus Homonymorum desumitur: quarum 1. est, ut habeant nomen commune: 2. ut habeant rationem substantiæ seu essentiæ diversam: 3. ut ratio illa diversa sit secundum illud ipsum nomen commune.

XXV. Penes primam conditionem 1. advertendum est, quod itidem *Ammonius* hinc monet: Nomen quod dupliciter acci-

acci-

accipi potest: 1. πρὸς ἀντιδιαστολήν ἑ ῥήματι, prout verbo contradistinguitur: 2. κοινῶς Ἰπὶ πάσης λέξεως de omni dictione; hoc loco ab Aristotele non in priori sed in posteriori significato sumi, prout sc. omnem vocem significativam ex instituto includit.

XXVI. Explicationi huic non absimilis est illa *Boëthii*, qua dicit, quod nomen (in definitione scil. Homonymorum,) accipiendum sit omnis rerum per vocem significatio, seu (ut se ipsum melius explicat.) omne *vocabulum non proprium solum, aut appellativum, quod ad illud tantum nomen pertinet, quod casibus inflecti potest, sed ad omnem rerum significationem, qua rebus imposita vocabula predicamus.* Ammonii & Boëthii explicationem hanc Simplicius quoque approbans, nomen insuper aliquando κοινῶς prout scil. ad omnem partem orationis se extendit, accipi, illo, quo τὸν πλάτωνα καλοῖς, Ξενοφῶντα δὲ κοινῶς κεχρησθαι dicimus, stabilire conatur.

XXVII. Non igitur audiendus nobis videtur *Amerp. lib. cit. tit. de Paronymis*, docens, quod quidem recentiores Denominativa plerunque ad alias etiam partes orationis, quam ad nomina referant, & secundum subtilem rationem ad illa referri etiam possint: propriè tamen ad nomina tantum referri debeant, æquè ac Homonyma & Synonyma.

XXIX. 2 Notandum; commune, quod itidem *Ammonius, Boëthius, Simplicius* & ex his alii plures notatu dignum existimant, quatuor modis sumi: 1. ἢ ὡς τὸ ἀμερισῶς μεθεκτόν, ὡς φαμεν δῶλον κοινόν· ἔτος γὰρ τῆ μὲν ὄσια ἀμερισῶς, τῆ δὲ χρῆσι μερισῶς· 2. ἢ τὸ μερισῶς μεθεκτόν· ὡς λέγεμεν, ἄρισον κοινόν, καὶ ἀγρόν κοινόν· μετέχομεν γὰρ ὅ πάντες ὅλα, ἀλλὰ ἕκαστος μέρος· 3. ἢ τὸ ἐν πρόκλησι, ὡς ἐν τῷ θεάτρῳ τόπος κοινός· ἔ γὰρ προκαταλαβόντος γίνεται. 4. ἢ ἐξ ἴσου παρὰ τῶν μετεχόντων μελαμβανόμενον, ὡς λέγεται κοινή ἢ ἑ κήρυκος φωνή· haec tenus *Ammonius*.

XXIX. *Simplicii* verba haec sunt: Τὸ κοινόν 1. ἢ τὸ εἰς μέρος διακρινόμενον, ὡς ἡ κληρονομία γῆ: 2. ἢ τὸ ἀδιακρίτως εἰς κοινήν μὲν χρῆσιν προκείμενον, ὅχ' ἅμα δὲ, ὡς ὁ δῶλος ἢ ὁ ἵππος ὁ κοινός. 3. ἢ τὸ ἐν προκαταλήσει μὲν ἰδιόμενον· αὐτὸς δὲ εἰς τὸ κοινόν αἰα-

πεμπόμενον ὡς τὸ θεῖον 4. ἢ τὸ ἅμα ἀδιακρίτως εἰς χρεῖται
 πολλῶν ἐρχόμενον, ὡς περὶ τὴν φωνήν. Boëthius, qui interpretis
 loco esse potest, ita scribit: *Dicitur commune 1. quod in partes
 dividitur & non jam totum commune est, sed partes ejus propriae
 singulorum, ut domus; 2. Quod in partes non dividitur, sed vi-
 cissim in usus habentium transit, ut servus communis vel equus.
 3. Quod utendo cujusq; sit proprium, post usum verò in commune
 remittitur; ut est theatrum: nam cum eo utor, meum est, cum in-
 de discedo in commune remisi: 4. Quod ipsum quidem, nullis divi-
 sum partibus, totum uno tempore in singulos venit, ut vox vel ser-
 mo ad multorum aures uno eodemq; tempore totus atq; integer per-
 venit.*

XXX. Non autem horum quatuor modorum quovis, sed
 quarto & ultimo tantum homonyma nomen nec illud omni,
 sed aliqua tantum ex parte, commune habent. Cum enim,
 in quavis voce duo, nimirum materiale, ad quod sonus, qui fit
 in vocis cujusvis pronunciatione, & articulatio, Syllabarum
 scil. distinctio pertinent, & formale, significatio nimirum,
 spectentur; non utrumque sed materiale tantum homonymis
 commune est: quando enim e. g. animal de homine picto &
 homine verò dicitur, homo pictus & verus respectu animalis
 sunt homonyma atque unum hoc nomen animalis quoad so-
 num & articulationem commune, significationem verò & de-
 finitionem secundum illud nomen diversas habent. In homi-
 ne enim picto similitudinem tantum animalis, aut in homine
 vivo corpus animatum sentiens significat. Paul. Vallius Log.
 suae tom 1. in Arist. praedic. parte 1. annotatione 2.

XXXI. 3. Notandum; quòd, quando Aristoteles in defi-
 nitione homonymorum addit particulam exclusivam SO-
 LUM, hoc ipsò ab univocis, quibus etiam definitio communis
 est, illa voluerit discernere. Exclusiva enim particula μόνον
 non μοναδικῶς, sed πρὸς ἀντιδιαστολήν. Ἐ συζύγῃ ὀρισμῶ addi-
 tur. Τὸν γὰρ ὀριστικὸν λόγον σύζυγον εἶ πάντως εἶναι τῷ ὀνό-
 ματι. Ut inquit Simplicius: Et hoc Aristotelem particulam ex-
 clusivam innuere voluisse, ex II. homonymorum conditione, quâ
 disertis verbis λόγον τῆς οὐσίας ἕτερον requirit, apparet.

XXXII. Verùm per λόγον τῆς δσίας quid Aristoteles propriè indicare voluerit, non eadem fuit interpretum opinio. Veteres quosdam Philosophos in ea fuisse sententiã Aristotelem per λόγον τῆς δσίας Substantiæ tantùm rationem & definitionem propriissimè sic dictam intellexisse, *Simplicius* prodidit.

XXXIII. Cùm enim animadverterent, non in solis substantiis sed etiam in Accidentibus esse Homonymiam; siquidem acutum non de voce solummodum, sed etiam de sapore dolore & aliis, quæ tamen Substantiæ non sunt, dicatur; minus rectè ab Aristotele vocabulum δσίας in æquivocorum definitione additum putarunt.

XXXIV. Huic dubitationi *Porphyrus*, referente *Simplicio* duobus modis occurrit. 1. Excusat Philosophum, quòd hæc dictio, ipso invitò, irreperit: idque inde probare conatur, quod illa non in omnibus exemplaribus scripta inveniatur: quodque *Boëthius* (quem tamen non putamus fuisse Boëthium Anitium Manlium Severinum qui aliquot secula post Porphyrum vixit) qui definitionem æquivocorum secundum singulas dictiones explicaverit, hanc vocem planè omiserit, ut quæ non fuerit scripta. Prætereaque Andronicum paraphrasten libri *Categoriarum* ita repetere homonymorum definitionem, quòd sint ὧν ὄνομα μόνον ταύτων, ἰδὲ κατὰ τὸ νόμα λόγος ἕτερον. Quibus nos addimus illam etiam apud *Clementem Alexandrinum* homonymorum descriptionem, quæ ita habet Ταὶ ὁμώνυμά ἐστι τῶ αὐτῷ ὀνόματι χρώμενα, λόγον τε δὲ τὸν αὐτὸν ἔχοντα ὅσον ἄνθρωπος τότε ζῶον, καὶ ὁ γεγραμμένον.

XXXV. 2. *Porphyrus* vocabulum δσίας nihilominus retinendum, imò τὴν προδήκην ταύτην additamentum hoc necessarium esse putat, hisce rationibus motus: quod 1. *Hermimus*, & ferè plurimi, vocabulum δσίας retinuerint. 2. Quod vocabulum λόγος, quod & Syllogismum, & inductionem, & omnem affirmationem, & negationem significat, per δσίας vocabulum ad definitionem & descriptionem restringatur. ἀντί δὲ φαίναι ὅδ' ὅρος ἢ ὑπογραφή ἕτερα, τὴν ἐξήγησιν δὲ ἔργη καὶ τῆς ὑπογραφῆς παρέλαβεν εἰπῶν; ὅδ' ὁ λόγος τῆς δσίας ἕτερον.

Καὶ

Καὶ γὰρ ὁ μὲν ὄρος λόγος τῆς ὄσεως ἐστίν, ὡς τὴν ὄσιν δηλῶν. Ἡ δὲ ὑπογραφή, ὡς τὴν ἰδιότητά τὴν πρὸς τὴν ὄσιν σημαίνουσα, καὶ τὴν ὑπερξίν κοινήν ὄσαν τῆς τε κυρίως ὄσεως καὶ τῆς ἄλλης ὑποσεως.

XXXVI. 3^a Conditio quæ in homonymorum definitione requiritur, est, quod definitio debeat esse diversa κατὰ τὸ ὄνομα secundum illud ipsum nomen, quod scilicet pluribus rebus commune est. Nihil enim obstat, quò minus duæ aut plures res, quæ respectu certi alicujus nominis, quod illis commune est, diversas habeant definitiones atque hæc ratione homonymæ dicantur; ad aliud rursus nomen commune, quod eandem significationem & essentiam rationem habet eadem res relatæ sint Synonymæ. Sic e. g. duo Græcorum fortissimi heroes apud Poëtam uno Ajacis nomine appellati diversas secundum illud nomen definitiones habent; atque unus Telamonis filius Salaminius, qui in duello cum Hectore certavit, alter verò Oilei ex Locride filius describitur, atque secundum hoc idem nomen diversas significationes habentes æquivocè Ajacis nomine dicuntur: Secundum verò nomen hominis quod & ipsum illorum utriusque secundum eandem definitionem commune est, est enim uterque homo & animal rationale, Telamonis & Oilei filii Synonymi dicuntur.

XXXVII. *Boëthius* in explicatione tertiæ hujus conditionis monet, quod, si ista non observetur, aliquoties fieri possit, ut ex æquivocis univoca & vicissim ex univocis æquivoca fiant. Quibusnam verò modis id accidat non definit. *Burleus in Expositione super Art. Veter. Aristot. lib. Universal. nota 2. in æquivocorum definitione*, quatuor variationes istius modos exponit:

XXXVIII. 1. Est, si Æquivoca pro æquivocis æquivocatis, & Univoca quoque pro univocis univocatis accipiatur; possunt namque æquivoca æquivocata sub uno nomine dici Univoca univocata sub alio nomine, e. g. animal latrabile & belua quædam marina sub uno nomine canis sunt æquivoca æquivocata, varias secundum illud nomen definitiones habentia: Sunt verò uni-

uni-

univoca univocata sub alio nomine nimirum sub nomine animalis; quod una cum definitione commune habent.

XXXIX. 2. Quando æquivoca pro æquivocis æquivocantibus & univoca pro univocis univocatis sumuntur: Æquivoca namque æquivocantia dicuntur Univoca univocata sub hoc ipso nomine æquivocum. Non tantum enim nomen hoc æquivoci æquivocantis omnibus æquivocis æquivocantibus, sed & definitio secundum illud nomen, quæ est, quod sit nomen idem plura æquè primò significans competit.

XL. 3. Quando æquivocum pro æquivoco æquivocante, & Univocum pro univocante accipitur. Æquivocum namque æquivocans respectu quorundam potest esse Univocum univocans respectu aliorum quorundam: e. g. nomen animalis quod est æquivocum æquivocans respectu hominis veri & picti, potest esse univocum respectu hominis & equi.

XLI. 4. Modus est quò, *sunt ipsius Burlei verba: idem univocum potest esse æquivocum æquivocans in uno idiomate, & univocum univocans in alio idiomate respectu diversorum significatorum: in eodem tamen idiomate, & respectu eorundem significatorum, non potest esse idem æquivocum æquivocans, & univocum univocans.*

XLII. Ex quibus nemo non colligere potest, verba illa, *κατὰ τὸν ὄνομα* in homonymorum definitione superflua non esse neque conditionem hanc tertiam frustra in homonymis requiri, sed totamque homonymorum definitionem sine his labare ac titubare. Verum neque hoc prætereundum hinc est, quod homonyma non fiant nisi hæc omnia in nomine illo conveniant 1. ταυτότης ὀνόματος 2. ταυτότης τόνου 3. ταυτότης γένους. 4. ταυτότης πτώσεως 5. ταυτότης πνεύματος 6. ταυτότης καταλήξεως: id est, Nominis, Accentus, Generis, casus, Spiritus & Terminationis idenditas. Id quod Ammonius per singulos casus illustravit.

XLIII. Unum tantum & alterum nos adducemus exemplum. Arbor pomifera & arbor navis dicuntur malus, & definitiones in ordine ad malum, diversas habent; nec tamen homonyma sunt, quia malus prout de arbore pomifera dicitur est gen. fœm. prout verò arborem navis significat masculinum est, atque ita duo diversa non idem sunt nomen. Eandem ob
ratio-

rationem vocabulum complector, quod *Boëthius* æquivocum esse putat; quòd sit unum nomen & patiendi & faciendi significationem habens, ab æquivocis excludere possumus, quod nimirum non in utraque significatione sit unius generis.

XLIV. Homonyma igitur sive æquivoca æquivocata, (ut quæ hæctenus diximus ad pauca contrahamus & breviter repetamus) dicuntur, non verò in seipsis sunt, duæ ad minimum, vel plures res, quibus unum idemqve literis, genere, accentu, casu, spiritu & terminatione nomen sive qualiscunqve dictio aut pars aliqua orationis solùm communis est, ita quidem ut totum illud nomen illis singulis æqvè tribuatur; definitio verò sive substantialis ea sit, quæ convenit solis substantiis, sive definitio aut descriptio quæ convenit cuicunqve enti in ordine ad illud ipsum nomen commune, alia sit atqve alia, prout huic vel illi rei sub nomine contentæ attribuitur.

XLV. Homonymorum exemplum, quod *Aristoteles* definitioni subjunxit, est hominis veri & picti sub nomine animalis. Homini enim verò & picto, duabus nimirum rebus, nomen animalis, quod est unum omninò idemqve nomen, solùm commune est; definitio verò secundum hoc ipsum nomen animalis est diversa, & alia quando de homine vero & quando de homine picto illud dicitur. Cùm enim de homine vero dicitur animal, id definitur, quod sit corpus animatum sentiens: Cum verò homini picto attribuitur animal, describitur quod sit *μίμημα ἑστίας ἐμφύχου αἰσθητικῆς*, id est: Simulacrum substantiæ animatæ sensitivæ: Exemplum vero hoc an rectè vel minus rectè ab *Aristotele* ad definitionem homonymorum, adhibitum fuerit in seq. Disp. (σὺν θεῶ) pro virili discutiemus.

Δόξα τῷ Θεῷ,



19 Feb 1841